



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Maximiliani Sandæi E Societate Jesu Doct. Theol. &
Herbipoli Profess. Commentatio Academica, De Donario
Cordis Revmi & Illmi Julii, Episcopi Herbipolensis, Franciæ
Orientalis Dvcis, S. R. I. ...**

Sandaeus, Maximilianus


Herbipoli, M.DC.XVIII.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-69134](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69134)





S II
10


Th. 5826.































MAXIMILIANI
SANDÆI

E SOCIETATE JESU DOCT.
Theol. & Herbipoli Profess.

COMMENTATIO

ACADEMICA,

Sortis gsw DE Paderbornæ.

DONARIO
CORDIS

REV^{mi} & ILL^{mi}

JULII,

EPISCOPI HERBIPOLENSIS,
FRANCIÆ ORIENTALIS DV-
GIS, S. R. I. PRINCIPIS,

In funere

Habita.

HERBIPOLI

Anno M. DC. XVIII.

EXCUDEBAT STEPHANUS
FLEISCHMANN.

SVPERIORVM PERMISSV.

APPROBATIO

R. P. PROVINCIALIS, PRO-
uinciaë Rhenanæ Societa-
tis JESV.



COMMENTATIONEM
Academicam, de Donario Cor-
dis Reuss: & Illustriss. IV-
LII, Episcopi Herbipolensis & c. à P. Ma-
ximiliano Sandeo, Societatis nostræ
Theologo conscriptam, atque à deputa-
tis ad id Theologis lectam, & approba-
tam, Ego Ioannes Copperus Societatis
Iesu apud Rhenum Prouincialis, conces-
sâ mihi potestate, ab Admodum R. P. N.
Mutio Vitellesco, Societatis nostræ
Preposito Generali, in lucem
edi permitto. Paderborna.
VII. Kal. Decemb. An-
no M. DC. XVII.



Joannes Copperus.



AMPL^{mis} & NOBIL^{mis}

VALENTINO
PHIL. CHRISTOPHORO,
JOAN. THEODORICO,

ECHTERÆ FAMILIÆ
Proceribus

MAXIMILIANUS
SANDÆVS
S. D.



ULIUM
EPISCOPUM,
Stirpis ve-
strę alterum
CONDITO-
REM, vt laudarem plenè

A 2 pro

pro meritis, in animū inducere nunquam volui; quod, quæ fieri non posse iudico, ea ne in mentem veniant, imperare mihi soleam. Vt tamen aliquam vitæ illius partem, attingerem commētando funebris, vice, mihi persuaderi haud ægrè sum passus. Nimirum, & gaudebam, præclaros, sapiētissimi Senis cogitatus hoc pacto vulgari, quod Reipublicæ, atque Ecclesiæ magno-
perè

perè interesse arbitrabar.
& indignabar, Academiæ JULIANÆ beni-
uolo FUNDATORI, ac
studiorum Mæcenati
fauentissimo, non poni
ab Academico Monu-
mētum gratitudinis. &
æquū erat, vt SOCIETAS
JESU, se benefactoris, in
paucis eximij, memori-
am, cum tumbâ non ex-
tulisse, testaretur. Addo,
Maiorum Votis, an im-
perio? penes quos juben-
di arbitrium, cui relu-
ctari obnoxio impune,

A 3 fuit,

fuit, vel integrum? Itaq.
rogatus- jussus, opere tu-
multuario, quod in his
talibus solenne, nonnul-
la Commentationi subi-
tanæ, vt, vt sub digitis
nascebantur, illigavi sty-
lo, quæ linguâ deinde
protuli. Eam, quia non
displicuerat, cotidiano
conuitio à me efflagita-
tam, in manus venire
permitto, typis exscri-
ptam, non tam nomen
inde sperans, vel acuti,
vel eruditi, (scilicet! hoc
cacoëthes scabat religio-
sam

DEDICATIO

7

sam modestiam profes-
sum)quàm obsequentis,
& grati. Quòr autem ve-
stris eam lemniscatam ti-
tulis, prodire voluerim,
ille sciscitetur, qui JULI-
UM nobilissimæ stirpis
Echteræ fuisse Princi-
pem, vos, eiusdem esse
Magnates, virtutum
Principalium hæ-
redes ignorat.

Valete.

A 4 LE-



LECTORI

M. S.

PISCOPIS HERBI-
POLENSIBVS, qui
& Oriētalīs Fran-
ciæ Duces, & S. R. I. Prin-
cipes, Stola, ac ense ve-
rendi, partitim sepeliri,
prisco ritu, mos est. Ori-
ginē, primasq. rei caussas
euoluere nō attinet, neq.
hoc modò agimus. Inte-
rana humanantur in tem-
plo Arcis summæ, totius
regio-

PRÆFATIO 9

regionis vetustissimo .
an, vt, in qua sede, viuus
prima supremæ potesta-
tis documenta edidit,
mortuus primò morta-
litate pignus deponat ?
instituto sanè laudabili,
vt meminerint, qui suc-
cedunt, Principum quo-
que amplitudinem mor-
talitate dānatam ab Im-
mortali, & inter peritu-
ra se viuere. COR VRNÆ
inclusum, D. Bernardi
Sodalib. qui Eboracense
Franconię incolunt; cœ-
nobium religionis cul-

A 5 tu

tu, & sapientiæ studijs
nobile in primis, trans-
mittitur. Ad beniuolen-
tiæ ne significationem e-
ximix? an, vt Ecclesiasti-
ci Antistitis partē opti-
mam, longè optima ex-
cipiat Ecclesiæ Christia-
næ portio, Religio? Præ-
clarum inuētum, vt Præ-
fuli, dum viuit, identi-
dem obuerfetur, Cordi
sibi esse debere illos, in
quorum sinu, Cordis se,
fui, inuenturum optat
conditorium. Ceteram
corporis molem, Ædes
cathe-

cathedralis sibi deponit.
jure equidem, ut quæ di-
uturnæ, operosæque ex-
ercitationis, vigilantia pa-
læstram aperuit, ad le-
uem, breuemque so-
mnum, christianè cu-
banti culcitram subijciat.
Illustre Monitum. Non
ante utramque in aurem
quiescendum Episcopo,
quàm, sua in Basilica an-
gustum fatalis somni le-
ctulum acceperit. Hic
mos vetus.

Variatum est nonni-
hil in JULII Principis fu-
nere,

nerē, volūtate viui mortalib. tabulis sancita. Fuerat enim in optatis, augustissimo tēplo Sapientię cultorib. erecto, in eodem, post decretorium diem, Cordis repositorium habere. Itaq. multis ante fatalem lucem añis, viuens, florensque, foris humanæ haud immemor, quod verè magnorum, Cenotaphium illi inædificari iusserat, adfixæq. tabulæ in sculpi, vncialib. litteris. *VBI EST THESAVRVS TVVS, IBI EST ET COR TVVM.*

TVVM. Decedēti autem is
honos habitus, vt ex vo-
to efferretur. Frequētif-
simo igitur Ordinum o-
mnium concursu, vifēn-
da planè pōpa *COR*, suc-
collantibus ferculo Aca-
demicis, eò deportatum
est, & sacris ritè procura-
tis, conditum. Hæc de
Juliano Cordis Donario
commentandi, dicendi-
que fuit occasio, quod

TE non nescire aue-
bam. *V A L E,*

D. O,

D. O. M.

SCIEN. DOM. IMM.

&

POSTERITATI

SACR.

JULIUS

EPISCOPVS HERBIPOLENSIS

LXII.

FRANCIÆ ORIENTALIS

SACER. DVX

IX.

NATVS

ANN. P. CHR. N.

CL. IO. XLV.

EID. MAR.

ELECTVS

CL. IO. LXXIII.

KAL. X. bris

CONSECRATVS

CL. IO. LXXV.

DENATVS

CLIO. C. XVII.

HORA IV. A. N. M.

EID. VII.^b

ÆTATIS SUÆ

LXXIII.

PONTIFICATVS. & PRINCIPATVS

JULIANI

XLIII.

MEN. IX. D. XII.

PAULI. V. P. M.

XIII.

MATTHIÆ. IMP. R.

V.

MORS VLTIMA LINEA:

B.

M.

LL. VV.

S. P. Q. AC. POSS.

VBI EST THESAURUS TUUS, IBI
EST & COR TUUM.

S. Hierony. Comment.

Hoc verò non solum de pecuniâ, sed,
& de cunctis passionib' sentiendum
est. Gulosi Deus, venter est. Ibi ergò ha-
bet COR, ubi est thesaurus. Luxurio-
si thesaurus, epulae sunt. Lasciui, ludi-
cra. Amatoris, libido. Huic seruit unus-
quisque quo vincitur.

D. Aug. Serm. L. de temp.

Frumentum tuum times ponere in
terrâ : & COR tuum perdis in
terrâ. Ecce Dominus dat tibi consi-
lium de CORDE tuo Vbi enim (inquit)
fuerit thesaurus tuus, illic erit & COR
tuum. Leua COR in caelum, ne putrescat
in terrâ. ingeniosè profectò. Cerne
malum de aurantiis. eius plurimum
interest, humine, an sublime, quie-
scat; quamdiu illic, durabit;
quam primum isthic,
putrescet.

ILLU.



ILLUSTRES
ac
GENEROSI
FRANCONIÆ
EQVITES

ET

HERBIPOLENSES
ACADEMICI.



ARENTAMVS hodie,
solenni funeris pompâ,
renouatis inferijs, MA-
GNO IVLIO, Principi,
ac Pontifici, haud pri-
dem, nostro, vitâ, quâ longiore,
quamuis annis fessus; dignissimuse-

B

rat,

rat, pronuper functo. De quo quicquid dicetur, infra rem erit. quisquis dicet, licet, Asiaticâ profusione, nemo excessisse materiam, nemo impleuisse pronuntiabitur. Ut satius sit, tacere de JULIO, & silentio venerari mortuum, quàm, siue multa, siue pauca, tamen infra dignitatem, de Viuo proloqui. Plura fecit JULIVS, quàm, vt paucis omnium syllabus confici possit; majora, quàm, vt multis ad ea quisquam dicendo adsurgere. Itaq. quomodocunque dicam, parum dixisse adfirmabit. quisquis tantum, & tam multum, à JULIO factum recordabitur. Non vnus sanè esse deberet mortuus Elogium, qui omnium fuit, dùm viueret, communis parens. nec verbis laudari, sed factis, agendorum Magister indefessus. Inscribantur à nobis faxis, non aëri, quæ perennare de JULIO conuenit, ne cum verbis euolent. Figantur JULIO, si grati esse volumus, Æterni Tituli, qui nunquam inter morituram, post facta famam meruit,

Jv-

II. *IULIO DVCI* multum debet ^{Duci THE-}
FRANCONIA ob Rempubicam, ^{MIS.}
 inusitato Numinis fauore, XLIV. an-
 nis, iuste, feliciter, præclare admi-
 nistratam, rerum apparatu haud mi-
 nore, quam verborum. *IULIO*
THEMIS, an non jure, more ma-
 iorum, Statuam erigat coronatam,
 inscribatque?

PATRIÆ PATRI

III. *IULIO PONTIFICI* pluri- ^{Pontifici}
 mum debet: Francorum Ecclesia. ^{Theopiste.}
 dicet posteritas, mirata moles, queis
 munitæ, supra CCC, Basilicæ, vnius
 auspiciis. *IULIO THEOPISTE*
 meritione Pyramidem dicet, & in-
 sculpat?

RESTAURATORI

IV. *IULIO EPISCOPO* non mi- ^{Episcopo}
 nus debent, qui omnia, concrediti, ^{Andreia.}
 oculatæ illius Virgæ, greges. Hoc
 Liuor, vel inuitus, fatebitur, tumu-
 latâ Inuidiâ, cernat tantum, vnius
 vigiliis, contagiosam ab Ouilipestē

profligatam, fufas Feras. *IULIO ANDREIA*, quòr non Columnam ftatuat, & inaret ftvlo, vt celte?

LUPORUM
CAULIS INHIANTIUM
DEPULSORI

Præfuli
Theofe-
uia.

V. *IULIO PRAESVLI* iuxtà eft debitor optimo Creditori, *RELIGIO*. Prodent certatim Religiofo- rum familiae, quib. ob condita libe- rali- tate vnitis, Afceteria, tutis, quie- tisque *DEO* vacare licet. *IULIO THEOSEVIA* Coronam non pan- gat, inferatque florum caractere?

BENEFICENTISS.
FUNDATORI

Antiftiti
Arete.

VI. *IULIO ANTISTITI* obno- xia fe, quàm, quæ maximè, Calami- toforum proclamant contubernia, quorum folatio ftant cœlo minantes hospitales domus. *IULIO ARETE* meritiffimo Cippum extruat, addi- tâ Epigramhe

MISE-

CORDIS IULI
MISERORUM
PARENTI

21

VII. *IULIO PRINCIPINI* nihil non debere se palam contestantur Litterarum *DIVAE*, Sororum Pleias, Gratijs venustior, quibus fundata, erecta, dotata celeberrimâ in metropoli Gymnasia. *IULIO SOPHIAM*, cui nos subancillamur, Academici, annon Peristylum excitare oportet, Monumentum gratitudinis, ære perennius, in eoque fauentissimo Mæcenati, columnatam cathedram, addito titulo?

Principi
Sophia.

ARTIUM BONARUM
CULTORI

VIII. *HAEC* dicendorum Synopsis esset, si Laudator accederem. Sed verum dicam, Immensitatem Oceanicum non in scrobiculum infundere a haud scribimus. iuuat hodie. Non semper notæ placent, & compendia. In nuce inclusam Iliada, Homeri carmen, in membranâ scriptum, tradidit Cicerone. b alius, fuisse qui sexcenta Pas-

Panegyri-

scribimus.

a. hoc pufio moliri
vifus Au-
gustino.

b Plinius
lib. VII.
cap. 21.

B 3

fionis

^c Capoc-
cius Se-
nensis, vt
scribit Lan-
dinus in
Dantem ad
Cant. xxix.

^d Franci-
scus Alu-
mnus, vt
refert Pe-
trus Areti-
nus, & Ge-
nebrard. in
Clemente
VII.

^e Plini. l.
indic.

^a Diodot.
Siculus lib.
2. cap. vlt.

fionis Dominicæ insignia, nullâ ex-
clusa personâ, in vnguibus suis deli-
nearit. ^c Non nemo, auorum me-
moriam, Apostolorum Symbolum, &
Euangelij Joannis partem illam,
longam, latamque, quæ post Sacrifi-
cium solenne recitatur, in denario-
li spacio, nulla dempta littera scri-
psit, mirantibus Imperatore Caro-
lo V. & Clemente VII. Pontifice
Max. ^d A Myrmecide, quadrigam,
ex ebore, quam musca integer eta-
lis, fabricatam, & nauem, quam api-
cula pinnis absconderet, non nesci-
mus: ^e sed, vt paria conemur, & *IV-*
LIVM, Orbe vno maiorem in vnus
pagellæ angustias cogamus, nec vo-
luntas est, nec potestas. Illa quoque
in Insula nati non sumus, quam feli-
cem nominant, in qua incolas fe-
runt, naturæ prodiga liberalitate,
quàm linguam ab ima radice habe-
ant bipartitam, vt duplex videatur,
simul posse eodem tempore diuersa
profari, ^a quod si nobis obtigisset,
nulla fortasse virtutum *IVLII* Prin-
cipis, suo præconio fraudaretur.

SED

IX. *SED* his præsidij destituti, & ingenuè inopiam, in summa copia professi, eò decurrimus, vt missis non parergis modò, sed rem maxime spectantibus, & mente à panegyrico auocata, in *DONARII* vnius contemplatione immoremur. Donarium ne an Donatium, an Fidei-commissum, an Legatum? denominationem non moror, vos, si placet, postea contendite aut conuenite, rem ipsam ego enuncio.

X. *COR* est *PRINCIPIS IULII*, Donarium IULII, COR. quod in familia herciscunda testatoris voluntate, nobis aduenisse, nõ, vt sextulam, sed, vt plenam hæreditatem, est, quod nobis gratulemur. Psal. xv, 5. *Funes ceciderunt nobis in præclaris. Etenim hæreditas nostra præclara est nobis.* Sæpè ego mecum tacitus librare iudicij lance beneficia *PRINCIPIS* soleo, quæ ille paterno affectu Academiae, à se fundatæ, contulit: cetera tamen omnia, splendor *CORDIS* Principalis, vt minores in in cælo ignes, Astrum Princeps, obscurare videtur. Idem vt vobis videatur,

deatur, causæ, quas subnectam, haud dubiè efficient. Demonstrationem autem sic ordiri placet.

Alexandri
M. Do-
num, nec
danti, nec
accipienti
cōgruum.

XI. *VRBEM* cuidam Alexander donabat vefanus, & qui nihil animo, nisi grande conciperet. Quùm ille, cui donabatur, se ipsum mensus, tanti muneris inuidiam refugisset, dicens, non conuenire fortunæ suæ, Non quæro (inquit) quid te, accipere deceat, sed, quid me dare. Animosæ vox videtur, & regia, quùm sit stultissima. Nihil enim per se quemquam decet. Bonum, Decens, & τὸ πρέπον, sunt Ad aliquid. Refert quid, cui, quando, quare, vbi, & reliqua, sine quib. facti ratio non constabit. Tumidissimum animal, si illum accipere hoc non decet, nec te dare. Habenda est personarum, & dignitatum ratio. ac, quùm sit vtrumque virtutis modus, æquè peccat quod excedit, quàm quod deficit.

JULIA-
NUM dona-
rium, vtri-
que maxi-
mè.

XII. *NON* cadit hæc reprehensio in Liberalitatem *IV LII PRINCIPIS*, qui quùm Academiæ, à se opulenta-
tæ, &

ræ eiusque Sacratio, quod est *DOMVS* Sapientiæ, dedit, quo maius
 extremis mandatis, non potuit, consideravit, &, quid nos accipere
 maximè deceat, & quid se dare. *COR* dedit. Donarium Sapientiæ, quod
 è tholo suspendi posset, ut anathema Deo, vel fax posteritati. Donati-
 uum Academicis, ut summi Imperatoris Præfidiariis, stipulatoribus, Fidei-
 commissum hæredibus fidelissimis, quod magno mundi die, *CORDIVM*
 Domino integrum repræsentetur. *COR* dedit, quid præstabilius potuit?
COR illud capax non vnius orbis, capax eternitatis, licet modo, vix quin-
 cupeda longiori vna circumscriba-
 tur, ô vices rerum!

XIII. QUID decuit *IULIVM* magis *Abundabat*
 dare, quam *COR*? Damus quo su-
 mus opulenti & noscibiles. ^a *Quod* ^a Actuu.
habeo, hoc tibi do, aiebat Episcopo-
 rum Episcopus. mola falsa, & fru-
 gibus onerant aras agricolæ, quoni-
 am ijs abundant. offert, si affatim
 suppetant, pilos caprarum opilio, & ^b Exodi
 gratum est Deo munus. ^b Multa fuê-
 xxxv. 6.

re *IVLIO* Principi, à quib. nomen, famamque habuit, habiturus æternum. Sed nonnulla, quod negari nō posse dolemus, obtrectatorum malevolentia exposita. at, quid ea propter dolemus, quum nulla lux splendeat, absque umbra? Neminem tamen, è densa maleolorum turba produces, qui vnquam *IVLIV* Megregie cordatum fuisse negarit.

*Cordatus
Princeps.*

XIV. *OMNIS* quidē est odiosa comparatio; nec instituiam, offensionis vitandæ causa: scire tamen peruehim, quem Sacrum Imperium, à quadraginta, & quod excurrit, annis, constanter *CORDATIOREM* duxerit. Si sacros fatigare Manes, & è quietis repositoio euocare fas esset, testes huc adducerē locupletissimos, non Imperatores modo, sed Pontifices Maximos, qui *CORDATI* Principis Nostri, & solertia sunt delectati, & vsu fructi. Super sunt etiamnum Coloniae Agrippinae vestigia *IVLIANE* prudentia altissime impressa, ab eo tempore, quo Princeps Incomparabilis, missus ab Impe-

Anno
M. D. LXXIX.
Surius in
Commen.

Imperatore, vt pacificationi Belgi-
cæ, Cæsaris nomine interesset, so-
lertiam incredibilem, & in maximis
rebus componendis dexteritatem
singularem, non Regi Catholico
tantum, verum, Pontifici quoque
aliisque Principib. egregiè probauit.

XV. DVos omnino ex omni histo-
riâ decerpo, alterū profanâ, alterum
sacrâ, vtrumque dictum *CORCV-*

LVM. Corculum autem, teste Fe-
sto, dicebant antiqui, solertem, &
acutum, sic Nasica ille prudens, bis

consul Corculum audiuit. In Chri-
sti autem discipulatu, is qui Thad-
dæus passim appellatur, cognomine
fuit Lebbæus, id est, Corculum. *IV-*

LIVM intuere vtriusque Reipublicæ
Principem, Ducem, & Episcopum.

Vix me contineo quin exclamem, Ô
IMPERII, & ECCLESIAE COR-
CVLVM! Quid igitur decuit *IV-*
LIVM magis dare, quàm *COR?* Et

XVI. *QVIB.* magis, quàm Suadæ, *Academi-*
& Sapientiae *CORCVLIS?* Hic æ-
ternus Academicorum, rumpatur
inuidia, est titulus. Nam Catos,

Corculum
vtriu, que
Reip.
Plin. l. vii.
cap. 31.
Plin. de Vi-
ri: Illust. c.
44.
Tiraquel.
in Alex. lib.
i. cap. 9.
Angelus
Caninius
in loc. noui
T. cap. 13.
Lorinus A-
ctu. i. 13.

Corcu-

Corculos apud Romanos cognominatos esse constat, qui Sapientiâ præstabant.

Qui COR
dat, omnia
velle dare
viderur.

XVII. COR, nobis suū dedit IVLI-
dat, omnia VS. O liberalē profusionē Principis!
velle dare omnia profundere Princeps cense-
viderur. tur voluisse, quū COR suum do-
nauit. Quid enim COR? Quærat
à Theologo. qui quū COR dona-
ri audit, concipit primò, animum
vniuersè, nobiliorem hominis por-
tionem, diuinæ, vt quidam ambi-
tiosus, particulam auræ. Scit enim
eo pacto COR in Codice suo sumi.
a Psal. LXXXIII. 3. a COR meum, & caro mea exultaue-
runt in Deum viuum, hoc est, anima
& corpus. b Defecit caro mea, & cor
meum, Deus Cordis mei! Deinde In-
tellectum, excellentissimam homi-
nis facultatem, quo sensu, sapientif-
simus regum Deo supplicat c Dabis
seruo tuo cor docile, vt populum tuum iu-
dicare possit, & Christus D. d Cogita-
tiones ascendunt in corda vestra. Paul-
e ROM. I. 21 lus quoque e Obscuratum est insipiens
cor eorum. Ecclesiasticus denique
f c. XXI. 16. f Cor fatui, quasi vas con fractum. Tum
volun-

a Psal.
LXXXIII. 3.

b Ps. LXXII.
26.

c III. Reg.
3. 9.

Luc. XXIV.
38.

e ROM. I. 21

f c. XXI. 16.

voluntatem potentiarum reginam,

g *Filij, hominum usque quo graui corde?*

h *Cor autem eorum longè est à me. Sic*

iubemur, *Deum diligere ex toto corde.*

i Adhæc, *Adfectum perquam beni-*

uolum. k *Quæsiuit Dominus sibi virum*

inxta COR suū. Inueni David virū secun-

dum COR meum. a Vbi est thesaurus

tuus. ibi est & cor tuum. Præterea

Memoriam. b Ne excidant de corde

tuò. Denique omnes junctim facul-

tates animi. c Conuertimini ad me in

toto corde vestro. Item functiones sin-

gularum. Intelligere, d In Cor homi-

nis non ascendit. Considerare, e Nec

ponat rex cor suum super virum istum.

Velle, f aut quid apponis ergo eum Cor

tuum? Rectè ratiocinari, inferre, di-

ducere. g De corde suo proferent elo-

quia. h In ore fatuorum COR illorum,

& in corde sapientum OS illorum. An nõ

ergo Princeps oĩa profundere volu-

isse cēsetur, quòm COR nobis suū do-

nauit? pergat porrò THEOLOGVS.

XVIII. COR nobis suū dedit IULI-

VS. ô inuidēdum de nobis indicium CORDIS

tantiprincipis! Noseo dignos Do-

nario

g Pf. iv. 3.

h Matt. xv.

8.

i Luc. x. 27.

k I. Reg.

xiii. 14.

Pfal.

LXXXVIII.

21.

Actu. xiii.

22.

a Matt. xi.

ii.

b Deut. iv.

9.

c Joël. ii. 12.

d ii. Corin.

ii. 9.

e I. Reg.

xxv. 25.

f Job vii.

17.

g Job viii.

10.

h Eccle.

xxi. 29.

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216

217

218

219

220

221

222

223

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239

240

241

242

243

244

245

246

247

248

249

250

251

252

253

254

255

256

257

258

259

260

261

262

263

264

265

266

267

268

269

270

271

272

273

274

275

276

277

278

279

280

281

282

283

284

285

286

287

288

289

290

291

292

293

294

295

296

297

298

299

300

301

302

303

304

305

306

307

308

309

310

311

312

313

314

315

316

317

318

319

320

321

322

323

324

325

326

327

328

329

330

331

332

333

334

335

336

337

338

339

340

341

342

343

344

345

346

347

348

349

350

351

352

353

354

355

356

357

358

359

360

361

362

363

364

365

366

367

368

369

370

371

372

373

374

375

376

377

378

379

380

381

382

383

384

385

386

387

388

389

390

391

392

393

394

395

396

397

398

399

400

401

402

403

404

405

406

407

408

409

410

411

412

413

414

415

416

417

418

419

420

421

422

423

424

425

426

427

428

429

430

431

432

433

434

435

Refert Phi-
lipp. Dietz
Dom. xvii.
post Pent.

nario *IVLIVS* princeps existima-
uit, quum *COR* dedit, quod vnicum
æstimator munerum æquus, & ar-
biter Deus exposcit, nec aliud se di-
gnum æstimat. præ quo vno cætera
aspernatur. Ferunt Syluicolam, di-
uinæ familiaritatis hominem, in o-
rationis congressu, postulasse sup-
pliciter à Numine, edocere dignare-
tur, quo maximè mulceri posset do-
no. quod esset regnum cœleste am-
bienti offerendum pretium? aduo-
lasse illicò ad calidas preces, è malis
gerium, os humerosque bono simi-
lem, edixisse ferio, neminem à Deo
pacem impetraturum, perituros o-
mnes, qui inaudito munere cœli-
tum patrem sibi placatum non red-
diderit. Sciscitanti Solitario, quod-
nam illud donum? responsum da-
tum, tribus constare partib.; novel-
la Luna, Solis circulo, & quarta por-
tione rotæ. Addidit Versipellis, hæc
si jungas, Deoque offeras, s. luuse-
ris, sin, damnabere.

Luna, Sol,
rotae quar-
ta pars,
COR.

XIX. EXhorruit vir sincerus, nec
ad talia acutus, ratusq; ἀδύνατον, de fa-
lute pe-

te penè diffidere incipiebat. nimirum, non dubitabat fabulam esse, vel magicum, Cœlo posse carminibus Lunam deduci, Solem detrahi, & reluctantes, ad quartam rotæ partem alligari. Ita fluctuanti, melior se videndum dat spiritus, fraudes aperit, euoluit griphum, docetque Lunam nouam, quæ non est sine cornibus referre tertium in Alphabeto Elementum, C. Solis circum, O. quartam rotæ partem, R. est enim hæc prima littera, nominis Rota, quæ quattuor cõstat elementis. iam junge tres litteras, prorumpet COR. Huius significatum Deo liberaliter exhibe. *Cor contritum, & humiliatum DEVS non despiciet.* Hoc innuere visus, qui salutem amico absenti transmittens, inuoluntè scribebat. Amico Salus. mitto tibi, & gratum sit, precor, munus, Cynthiae cornua, rotunditatem phœbi, quartam partem ex equuleo Ixionis. Amicus harumce subtilitatum minimè ignarus, pinxit in papyro illam triadem, & COR vidit, a-

Psal. l. 19.

Simile
quid babes
Rober. Olkot, aut
Thomas
Gnalessus
lect. xii. in
Prover.

dit, amavit leporem, risit, & geminum munus amico reposuit. Animaduertitis (opinor) quantum nos amauerit Princeps, quanti fecerit, quum COR dedit, quod si donetur, Deo, nihil ultra postulat. Audi votum Numinis. *PRAEBE fili mi, COR tuum mihi.*

Prover.
XXIII:26.

*Amoris
Summi in
dicium in
Deo, COR
dare.*

XX. COR nobis suum dedit *IVLIVS*.
 o diuinam Munificentiam Principis. Si adsurgere lubet ad diuina, quod est Theologi, Deum contemplare, cui beneficiorum omnium fuit Epitome, *COR DEDISSE*. Paradoxa loqueris, fateor paradoxa, sed non paraloga: inopinata, non falsa. illustro, quaeso vos, mentem acuite. *DEVS* amori erga genus humanum, indulgens suo, qui minor non fuit infinito, coelum terramque &, quae jis continentur, homini famulatum esse iussit, lumen vehiculo Solis in mundum inuexit, tenebras homini ingratas, solatio Lunae temperauit, coelum, domicilium nobis designatum, syderibus vt gemmis illusit, mare, penu generis nostri, ciborum de-

litijs

litijs impleuit. terram exilij futuram
 insulam, varia fœcunditate dotauit,
 nullum nobis ornamētorum genus
 deesse voluit: temporum officia, ele-
 mentorum seruitia, totius geniturae
 tributa, vt homini vectigalia, proui-
 dit. Sat homini mundoque datum,
 Deus optime. Sed non satis id visum
 liberalitati Diuine. Addidit ad bene-
 ficiorum cumulum, qui in liber-
 tatem, noxios assereret, *FILIVM*,
Sic Deus dilexit mundum, vt Filium su- Joan. III.
um vnigenitum daret. An hoc satis? ^{16.}
 abunde nobis, non Deo. Quid post
 vnigenam, Parentis viscera, dan-
 dum superest? *COR*. Non conten-
 tus igitur amantissimus pater, effu-
 disse viscera, dedisse Filium, *COR*
 tandem addidit, vt liberalitatis infi-
 nitæ epilogum. *COR* in Diuinis, Spi-
 ritum sanctum esse, abdita mysteri-
 orum rimari, & euoluere soliti The-
 ologi adfirmant, quibus lubens ac-
 cedo quid enim aliud *COR* Patris,
 & Filij, quàm Amor, & Donum, bo-
 numque pignus? *Dedit autem Deus* II. ad Co-
pignus Spiritus, id est, COR suum, ceu rinth. I. XX.
 C arrham

arrham timoris, *in cordibus nostris*;
COR suum nostro copulauit; vtrum-
 que nobis *IULIUS*, cuius *COR* Di-
 uini *CORDIS* receptaculum fuisse
 nullus dubito, obtulit. Quid maius
 dari potuit, quid optari?

Christus

mittit Spi-

ritum S. vt

COR Ec-

clesia.

XXI. *COR* nobis suū dedit *IULIUS*.
 O eximium Ordinis amplissimi ama-
 torem Antistitem! Nondum à diui-
 nis abimus. Quod Patri æterno, idē
CHRISTO, amoris inexhausti fu-
 it symbolum, *COR* donare. dicam
 hoc plenius. *CHRISTVS* dilexit
 Ecclesiam ardentius, quàm æstima-
 ri à mortalibus possit, eam Corpus
 suum constituit, sponsam habuit. In
 hoc venustissimo corpore, & ani-
 mam se exhibet, & quod mirere, ca-
 put: Collum est Deipara, Oculi An-
 tistites. Lingua Doctorum Cœtus.
 Dentes Ecclesiastæ, Aures conscien-
 tiæ quæsitores, Pedes, & manus, mi-
 sericordiæ officijs dediti. Nihil dico
 sine auctoribus idoneis, nominatio-
 ne, & probationibus consultò ab-
 stineo, ne longum faciam. His
 membris ornat hoc corpus Spon-
 sus a-

sus abiturians, sed quod in amore est
 palmarium, aberat C O R D I S do-
 narium, quod tunc accessit, quum
 die quinquagesimo ab admiranda
 anastasi coelitus Spiritum misit, qui
 Cordis officio in hoc corpore fun-
 geretur. Et reuera, Ecclesiae C O R
 exinde fuisse diuinum Spiritum, ex
 duobus excellentissimis Doctorib.
 Greg. Nysseno & Thoma Aquinate
 didicimus. Causas multiplicare
 non attinet. Cui enim non venit in
 mentem, scaturiginem vitae in Ec-
 clesia, viuificantem esse Spiritum, vt
 C O R in corpore? eundemque se-
 dem Amoris, & officinam adfectu-
 um? Amoris ergo infiniti arrhabo-
 nem tunc promisit Christus Domi-
 nus, quum C O R suum vltimis pene
 verbis se daturum est pollicitus. An-
 non igitur summi amoris indicium
 est, Principem nobis C O R legasse?

XXII. C O R nobis suū dedit I V L I V S.

O causae nostrae Patronum, etiam *Cordare,*
 dum tacet, eloquentissimum! Non *est aman-*
 potuisset documento magis, certo *tissimorum.*
 prodere princeps, quantum nos illi

cordi fuerimus, quàm *COR* dando. Fallor? Consulatur Jurisperitus, qui pro tribunali edicet semper gratissimum fuisse viuo illum, cui ex hæreditate pars optima, *COR*, non fortitò obuenit, sed morientis voto, viuentis destinatione. In Galliâ paucis ab hinc annis, quid acciderit, neminem fortasse latet. Henrico IV. Rege Christianissimo, nefarij parricidæ ferro sublato, attonitaque tanti facinoris atrocitate Gallia, delati sunt ab Innocentiæ calumniatorib. quorum copiosus vbique prouentus, Societatis Jesu Patres, in quos teterrimi facinoris inuidiam deriuare erat consilium. Quæ defensio apud Iudices immanitate parricidij commotos? *COR* Societati suum Rex legauit. Nos itaque illi cordi, an non ille nobis? quod si ita. quæ barbaries, vel suspicari, homines, non feras, in medullitùs amantem chalybem acuisse? Valuit argumentum pro tribunali, ludibrio exposit; calumniatores.

XXIII. *COR* nobis suum dedit

IVLI-

A. M. DC. X.
14. Maii
Petrus
Matth. &
alii.

Apologetæ
Soc. Jesu
& Pet. Cotton.

Jacob Gualtherus in
Tabula
Chronographica
in seculo
XVII.

IULIVS O validum inueterati a-
 moris indicium! Designare erat in
 votis Principi, quos primò cæpit,
 quos vltimò amare desiit, Sapien-
 tiam, inter quos ipse non postre-
 mus. Quæ causæ? dabit illam Me-
 dicus: qui *COR* primum nascentib.
 in vtero animari tradit, emori nouis-
 simè.

XVIV. COR nobis suum dedit
IULIVS. Ô prouidum in summa
 necessitate Curatorem! Si vnquam
 aliàs, certè hoc tempore optandum
 esset, cum facerrimo vate, Sapien-
 tiam amatoribus. *Quis dabit oculis meis*
fontem lacrymarum? nam omnia
 turmatim videntur in nos impetum
 mala facere. lues, bellum, hæresis,
 pestes aliæ. copiosa ad lacrymas
 materia. Harum autè Fons est *COR*.
 ita Medici disputant, qui volunt, tres
 in humano corpore exhalationes
 humidas esse, fontes totidem, sto-
 machum, lecur, Cor, à quib. ad to-
 tidem membra, ceu crateres, edu-
 cantur, ad Nares, Aures, Oculos.
 A stomacho mucum per nares ef-
 fundi;

C 3

*Cor primò
 mò occidit.
 leg. S. Thõ.
 de poten. q.
 13. a 18. ad
 10. 22. q. 22.
 a. 2.
 Francif.
 Vales. l. 2.
 contro.
 Medic. c. 6.
 Cor, fons
 lacryma-
 rum.*

Jerem. ix. i.

fundi; à jecore cremium per aures expurgari: à *CORDE* lacrymas, & manare per oculos. Quoniam igitur nos lacrymarum magis, indigos esse sciebat Princeps, quàm nummorum, earum Fontem donauit, quem exsiccare nollet.

*Cor imago
Principis,*

XXV. *COR* nobis suum dedit *IULIUS*, O ingeniosum platen vultus proprii, totiusque vitæ in nostri gratiam delineatorem! *COR* imago est Principis, non qualis in auri Orbiculo, Nummum honorariū vocant, palatinis hostimenti vice donari solito, fulgurat, sed viua, spiransque. Carissimis autem, & optimè de familia meritis, imagines quamuis fuligine obductæ, legari solent. Fortasse hoc declarare Fundator voluit, quum *COR* ad nos referri. Et meritò Sapientiæ prolem, vt suam æstimauit, quem votiua virtus cælibem, Ecclesiasticus Principatus, cetera orbum fecerat. Hic aduocandus iterum esset Medicus, qui admirandam *CORDIS* fabricam exhiberet, quod si fieret, Principis

pis vel imago oculis obuersaretur,
vel simulacrum.

XXVI. Non vacat ire per singu- *Cordis cum*
la, quæ comparationem illustriorem *Principe*
facerent. In *CORDIS* enim sub- *collatio.*

stantia, soliditas, firmitatem *IULI-* *Galen. de*
ANI pectoris, quam nec *Spes*, nec *U* *suparti-*
Metus, à statu dimouere potuerunt; *um lib. vi.*
cap. 2.

Temperies ignea, feruentem Prin-
cipis zelum, amore inflammatum,
temperatum tamen Scientiæ rore;
figura pinea, aut pyramidalis inuer-
sa, supernè, ad cœlestia, ampla; in-
fernè, ad terrena, in cuspidem desi-
nens, supernorum in Principe desi-
derium, terrenorum contemptum:
cauositas, & sinus capacitatem di-
sciplinarum omnium, sed illius ma-
ximè, quæ Pastoris est, regendi ani-
mas; situs medius, est enim *COR* in
medio, vt sentit Galenus, animi nul-
lis adfectibus vitiosis ad sinistrum
declinantis rectitudinem, præclare,
repræsentaret:

XXVII. *SED* nihil æquè totum *Perpetuus*
IULIUM, ac *CORDIS* constans, *motus Cor-*
ac perpetua operatio. Est *COR* o- *dis.*
C 4 pera-

Arist. de
motu ani-
mal. & III.
de part. c. 4

peratione continuâ inquietum, & semper, vel à seipso, tanquam solitarium animal, vel, quod Philosopho etiam visum, à natura generante mouetur, siue per diastolen extendatur ad recipiendum, quæ comoda; siue per systolen contrahatur, ad expellendum impetu, quæ noxia. Quàm *IULIVS*, noctibus quoque, quum *COR* illius pro nobis altum soporatis, vigilaret, in perpetuo fuerit motu, me tacente, norunt, quot quot illum annis *XLIV*. Principem, quo tempore, quod liberè adfirmare ausim, non fuit in nostro orbe, qui non plus à curis principalib. quietis sumpserit. Non credet, qui non vidit, quàm nunquam ociosus, quàm semper laboriosus, fuerit *IULIVS*. Laboribus saginari videbatur, ut pleriq. alij epulis. Vixisset mille annis *IULIVS*, ocio marcescere, ut stagnantes aquæ in paludibus non potuisset. Continuo ille à suo generante, Domino Dominantium, cui erat adfectu, & magnanimitate conjunctissimus, oouo quodam arcanoq;

canoque impulsu mouebatur, siue ad virtutis, optimique regiminis impedimenta eijcienda constringeretur, siue ad complectenda, quæ Republicæ, cui inuigilabat, commoda dilataretur. Non vt ignauus mortuus est *I V L I V S*, quiescens; sed, vt Imperator, pugnans. Verè dicere potuit, quod olim Hipponensis Antistes, *Fecisti me D E V S ad Te & inquietum est C O R meum, donec requiescat in Te.*

Augu. lib.
I. confess.
cap. I.

XXVIII. *C O R* nobis suum dedit *I V L I V S*. O sagacem desideriorum nostrorum Inuestigatorem! Non ambigebat conuenire maximè, & desiderari à Sapientiæ clientib, Sapientiæ symbolum, quale *C O R* esse obseruat *PHILOSOPHVS*. Huius siquidem animaduersione habetur. Animum ad vitæ conseruationem quattuor potissimum vti partibus *C O R D E*, Cerebro, Hepate, Pulmonibus. Beneficio *C O R D I S* membra vitali calore; spiritibusq. ad functiones idoneis, instruuntur. Hepatis officio sanguis conficitur, & corpus

Cor Sym-
bolum Sa-
pientie.

pus nutritur. Cerebri opemouentur articuli. Pulmonum, vt follium organis, interiora refrigerantur. Haud sequus ad Reipublicæ corpus tuendum non paucioribus est opus, Sapientiâ quidem, vt vitæ fonte. Iustitia vt sanguinis decorisque efficitrice. Auctoritate, vt operatio- num ad ministra. Clementia, vt refrigerationis instrumento, quo vis ignea Iustitiæ temperatur. Rectè igitur sapientissimus Princeps Sapi- entia symbolum, Amatoribus Sa- pientia legandum putauit, si Philo- sophus audiatur. Sed pluscula in hanc rem congeffit

COR seu-
ti forma
defendit-

XXIX. CHRISTIANVS PHI-
LOLOGVS, sacrae profanaeque e-
ruditionis, ac historiae promus, con-
dus, qui illud in primis acutè notauit,
COR humanum esse forma **SCVTI**,
latum supernè, vbi caput, humeriq.
tegenderi, infernè, angustius, vbi gra-
ciliores tibiae. Parum videbatur
prouido **FVNDA TORI**, patrocini-
um nobis suum, dum viueret, im-
pendisse, muniuisse nos Auctoritatis
suae

suæ clypeo, nisi mortuus quoque, in
 protectionem nos suam reciperet.
 Itaque *COR* suum, vt *SCVTVM*
 obtulit. dicatur de nostrum quoli-
 bet. Vt *SCVTO* circumdabit te
COR eius; quod ego pluris semper
 fecerim, quàm ab antiquis celebra-
 tissimi Myrtili, qui Scuto pugnare
 solitus, eodem, ad scopulos allisa,
 submersaque nauis, inuectus, ad por-
 tum appulit incolumis semper scuto
 superior. Superest adhuc gratula-
 bundi plausus.

Bina pericla vnis effugi sedulus armis,

Quum premererq; solo, quum premererq; salo. Alciat. E-
 Incolumem ex acie Clypeus me præstitit, idem pigra. 161.
 Naufragum, & apprensus littora ad vsq; tulit.

XXX. A T quale *SCVTVM* ^{Scutum}
COR Principis? Scuto defendi so- ^{hastatum.}
 let corpus, vix offendi hostis; exci-
 pit ictus scutum, dum prohibet; pa-
 titur, dum auertit. At est genus
 scuti hastati, quod vmbonē habet,
 cum cuspide, quo aduersarius si ir-
 ruat, læditur. Tale *COR* est Princi-
 pis, patrociniatio, quæ malum ap-
 propin-

propinquare non finit, ictus reijcit
illæsa. Tuta erit, auguror, Acade-
mia nostra, quamdiu *CORDE*
Principis, vt scuto protegetur, nam
& nullis, quamuis ignitis sagittis eius
vmbro est penetrabilis, & hostica te-
la facile in auctoris caput retundit.

*Ancile Ro-
manorum.*

XXXI. *PERHIBENT* Numæ
Pompilii tempestate, de cælo deci-
disse *SCVTVM*

*Ouid. iii.
Fast.*

Ecce leui Scutum, versatum leniter aura
Decidit, à populo clamor ad astra venit.
Idq; ancile vocat, q̄ ab omni parte recisum est,
Quemq; notes oculis, angulus omnis abest.

Unaque vocem editam, omnium
potentissimam fore ciuitatē, quam
diu in ea mansisset, itaque facta sunt
ejusdem figuræ quàm plurima, quib.
id misceretur, ne internosci cœleste
posset, & subduci. Agnosco fabu-
las nationum; sed ex his ipsis aliquid
elicit philologus, quo suam Spartam
exornet, dicitque videri Academiæ
missum *COR* Fundatoris vt Ancile,
florentissimamque illam fore, quam
diu hoc in illa permanserit, sed peri-
culum

culum esse, ne subducatur, nec enim clathris ferreis satis custoditur, quod omni custodia sapiari debet: Prouer. 14. miscendum ergo ejus generis pluribus 23, ne principale internosci possit, hoc est, ut ego interpretor, nostrorum singulis cordibus ita includendum *COR* amorque est *IULII* parentis optimi, ut similitudine vnum, idemque videantur, nec *IULII* magis, quam nostrum, à nobis expectari possit. Sed ô! Si in nostrum locum *COR* principis substitueretur!

XXXII. *OPTANDVM* nobis Catharina Senensi à Christo est, si quicquam sapimus, viuere Christo *CORDE* principis, id est, genero COR da- so, erecto, humana despiciente; tum. quàm præclare nobis cum ageretur, si, cui nihil arduum, singulis nobile *COR* principis inderet, *COR* plebeium extraheret! Id in votis olim erat virgunculæ Senensi, & stupente natura, illi obtigit, quæ paucissimorum est felicitas. Raimundus in vita lib. 11. c. 16. Quùm enim aliquando Catharina versaret animo Pf. L. 12. illam sacri carmini particulam, *COR mundum crea in me DEVS*, sibi que
Cor

Cor proprium extrahi enixè postu-
laret, quod iudicabat immundum,
sensit à Christo fieri, quod optabat,
&, aliquot post diebus, quibus sine
corde vixerat, nouum ab eodem re-
stitui, quod suum Christus adfirma-
bat. Deinceps verò illa Christo ipsi
in oratione commendabat, iam
non suum, sed ipsius in *COR* Chri-
sti, dicens amanter, Commendo
Tibi *COR TVVM*. Non erat *DE-
VS IVLIVS* Princeps, sed vices
agebat Dei præclare; non erat Chri-
stus, sed ejus in animarum procura-
tione, Adjuua. Ut igitur votis Sapi-
entum satisfaceret, *COR* infiniti ca-
pax singulis nobis ex asse legauit; &
quoniam pectorib. ipse nostris illud
inferere non poterat, voluntate te-
stari voluit, quanto arderet studio,
nostris seruiendi commodis, satisfi-
ciendi optatis, daretque occasio-
nem, vt *COR* Principis, nostrum
beneuolis animorum studijs, face-
remus.

XXXIII. *FORTASSE* & sui ra-
tionem Princeps non minimam ha-
buit,

Cimmerio-
rum Regis
filij in *COR*
patris iacu-
lantur.

buit, quum *COR* nobis commisit. Non ignoratis à capitalibus inimicis *COR* peti, quo violato, v. uere defini- Diod. Sic. mus. quocirca hostis habetur, qui in lib. x. *COR* telum mittit. Cui non auditum iudicium Ariopharni Thracum Regis, qui, quum tres Cimæriorum Regis filij de paterno regno altercarentur, iussit patris cadauer è sepulchro eius, arbori alligari, & eos arcu contendere, vt qui paternum *COR* transfixisset, in regnum succederet. Primogenitus guttur, secundus medium pectus, corde illæso, transfixit; supererat minimo spes regni, vicit tamen pietas, & se regno cedere malle, dum in paternum *COR* pietate superior esset, professus, jaculari in *COR* detrectauit. Nimirum, intelligebat, non nisi spurium, *COR* patris posse transfigere. Itaque huic Thrax regnum adjudicauit, Corde quoq. patris, vt fas est opinari, quod in sui tutelam susciperet, concessit. *Cor Prin-*

XXXIV. *IGNORARE* non *capis def. n-* poterat Princeps *IULIUS*, haud me- *dendum A-* lius secum post funus, quàm cum tot *cademicis,*

Magnis

Magnis, omni ævo, actum iri. fore indubiè, qui inuidiâ stimulan- te, in ipsum, vt scopum, linguarum spicula collimaturi essent, occurrendum erat deliris jaculatorib. sed ne in Cadauer venenata spicula mitte- rentur, non tanta cura fuit; illud præ- cauendum maximoperè existima- uit, ne *CORDIS* sinceritas lædere- tur, atq; idcirco ijs commédandum, qui consilio, & si opus, armis, ac cor- porum oppositu, quicquid violen- tum, arcere possent. Tales autem iudicauit Academicos, quos ipse tu- tari, vt oculorum pupulam, solitus. Hi namque armatâ pallade glorian- tur, consilio armis sociato, quùm alij furentem Martem, qua data porta, sequi soleant. Enitendum igitur est, Academici, vt honestissimo pri- cipis de nobis iudicio respondeamus, nec committendum, vt in de- fendendâ Fundatoris nostri postu- mâ gloriâ, qua nihil nobis esse debet antiquius, officio defuisse videamur.

Honore af-
ficiuntur
Cordi co-
gnata.

XXXV. HONORETUR à no-
bis indefesso conatu, princeps,
qui

qui nos præcipuo dignos honore si-
 gnificare voluit, quum *COR* dona-
 uit. *COR* nobis suum conjungere,
 nos *CORDIS* sui traduces indicare
 erat propositum. Quod autem cum
 corde istiusmodi agnationem habet
 præcipuo honore dignamur. Quum Pierius lib.
 putatis antiquissimo ritu, digitum XXXVI.
 qui minimo proximus est, annulo in-
 signiri, vnde annularis nomen? ni-
 mirum, est *CORDIS* digitus. quam
 ob causam institutum reperio ab
 Ægyptijs, vt is annulo, tanquam co-
 ronâ honestetur. Eundem Sacerdo-
 tes sacris operaturi, odoribus illine-
 bant, ejusmodique honor ideò ei ha-
 bebatur, quod dissectionum periti,
 neruulum à *CORDE* natum, per
 dorsum eò tendere, & desinere com-
 pertum habeant. Nos itaq. vt Cordi
 Principaliconjunctissimos, maximis
 mactandos honoribus testari voluit
 sagax Fundator, quum testamento
COR nobis legauit.

XXXVI. *FORTEAN* hoc pa- Cor à cura!
 eto securos nos esse iussit. *COR* de- Cor ne e-
 dit curis pro nostris commoditatib. das.

D exesum,

exesum, vt prouideret ne rerum molestissimarum curâ maceraremur. Veniat in mentem *Ænigma* in *Pythagoræ* scholâ frequentatum, *μη ἐσθίειν καρδίαν* *COR* ne edas. cuius sensum *Plutarchus* expressit, animum curis ne affligas, nec lancines. Ad quid igitur *Cor* nostrum lancinemus curis, quibus *COR* Principis curis fatur in sinu est? Propter hoc letetur *COR* nostrum, & exultet lingua nostra, insuper & caro nostra requiescat in spe.

Momus *COR*
inspicere
desiderat.

XXXVII. COR nobis suum dedit *IVLIVS*. ô Germanæ sinceritatis, & candoris Principem! Non placuit candidissimi Pectoris Antistiti, simulatio, veram, sinceramque adamauit virtutem, quam *CORDIS* dono significare potuit, *Momus* Numinum profanorum parasitus, vt credi voluit delusa antiquitas, in fabricâ hominis desiderabat hians pectus, &, per hiatum patens, ac reclusum *COR*. In Principem is nostrum non vibrasset, nisi malignè, aculeum qui quàm hians erga nos pectus, quàm

quàm reclusum COR, habuerit, vi-
uus verbo frequenter ostendit, nec
potuit alio; mortuis, CORDIS do-
no. O sincerum erga suos Princi-
pem!

XXXVIII. EODEM spectat
quod COR vnicum vnicè caris le-
gando, non se aliud habuisse profes-
sus est. Nonerat IVLIVS exijs, qui
loquuntur, in corde, & corde. quibus
maledicit Sapiens. Va duplici corde
qui similes perdicibus Paphlagoni-
cis, quas bicordes Theophrastus
prodidit, amicis perniciem adferre
alij memorant, & maximè fraudu-
lentas esse, ideoque à perdendo per-
dices dictas D. Ambrosius colligit.
tales, vafri, dolosi, fraudulentissimi, quib.
vnum Cor intra thoracem, alterum
in labris, juxta paræmiam, duplices
viri, quos non minus, quàm poëta
detestabatur Princeps noster, & di-
cere visus mihi

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κείνῳ ὄμωσ, αἰδᾶο πύλησιν
ὅς ἕτερον μὲν κούθει ἐνὶ φρέσιν ἀλλοῦ εὐάζει
Inimicus ille mihi æquè, atq; Orci portæ. (nat in Hippia
Quisquis aliud abscondit, in præcordijs, aliud so-

Non erat

duplici
corde

Princeps.

Psal. xi. 3.

Ecci. ii. 14.

apud Plin.

lib. xi. c. 37.

Ælian. l. x.
de anima.

ca. 35. Gel-
lius l. xvi.

cap. 15.

Ambros. l.

vi. in Exa.

c. 3. & in

cap. 17. Ier.

16. S. Hier.

August. l.

de Pastor.

& xiii.

contra

Fauft. c.

Pieri. lib.

xxiv. Rho-

dig. lib.

xxix. c. 6.

citat Plato

minore.

Contrarium de Pō-
peio scribit
Cice. l. 8.
Ep. i.
*Socratis
donarium,
Gallus.*

Notat Ca-
ieranus,
Ioan. de
Pineda, &
alii.

Unū COR dedit Princeps, nec aliud habuit, qui non solitus aliud sentire, aliud loqui.

XXXIX. *COR SVVM* nobis dedit *IVLIUS*, An *PRAESIDI* Sapien-
tiæ, cui hæc dicata Basilica, ad aram offerri constituit? Sapien-
tissimi ex oraculo Delphico Philosophi lega-
tum celebratur, is fuit Socrates, qui, ut optimè de se merito Æsculapio, valetudinis suæ Restauratori Gallum consecrari iussit, extremis mandatis. torquent hic se eruditi, ut mentem testatoris ex scrupo eruant. reor equidem, Gallum ut *CORDIS* Symbolum, dicasse, ac summè æstimato à se, summè æstimandum munus obtulisse. Gallum autem *CORDIS* vice poni, non est insolens. Ad sacrum Codicem appello. *Quis dedit Gallo intelligentiam?* scribitur Jobi xxxviii. 36. quo loco vox originalis æquè Gallum, ac *COR* signat, nec desunt, qui legant, Quis dedit *CORDI* intelligentiam? Quæ verò nomen ab eadem radice protuberans *COR*, & gallum exprimat, interpretes vetusti vix attingunt, re-

centium coniectura est, quod quum
radix significet pingendi & imagi-
nandi artificium, proprium Cordis,
in quo fabrè pinguntur, formantur-
que cogitationes, vt cælaturæ quæ-
dam, nec ab alio, quàm Corde arti-
fice, id quoque Gallo bellè conue-
niat, qui proprio quodam Epitheto,
artificiosus, intelligens, industrius
dicitur. Quod itaque Æsculapio
Cacodæmoni haud dubiè, quoniam
salutis auctorem rebatur Socrates,
inuolutè detulit, id multo sapientius
Princeps noster, detracto obscurita-
tis tegmine, Sospitatis Auctori, Deo,
qui in hoc templo colitur, sacrauit,
dum *COR* suum Domus Sapientiæ
sacrario inferri voluit, tanto Socra-
te sapientior, quanto præ Gallina-
ceo ferri necesse est, *COR* Christia-
ni Principis.

XL. *SED* quum jam dissimulem
quod opportunè *CORDIS* & Galli
associatio suggerit, quo mirificè Prin-
cipis Beneficentia, sed cum singula-
ri prudentiâ coniuncta commenda-
tur. Galli encomium illustre est a-

*Cordis &
Galli con-
uenientia.*

Plini. lib.
xi. cap. 21.

pud Plinium, qui vigiles illos noctur-
 nos appellat, quos excitandis in o-
 pera mortalibus, rumpendoque so-
 mno natura genuit. norunt sidera,
 & ternas distinguunt horas, interdium
 cantu. Solis ortum incautis non pa-
 tiuntur obrepere. Coelum sola vo-
 lucrum aspicit crebro. Nulla sane
 alitum Sapientiæ Myſtis magis ami-
 ca est, & commoda, ideoque *COR*
DIS imago, quod facultatib. omnib.
 veluti sopore correptis, vigilat, ex-
 citandis in opera siue litterarum, si-
 ue virtutū studiosis, formatum. Vi-
 gil nocturno eque, ac diurno tempo-
 re. Prudenter igitur *COR* suum tran-
 scripsit Academicis *IULIUS*, quē au-
 dire videor. *Ego dormio, & COR meum*
vigilat. Sōno premor Sanctorum, si
 corpus spectetis; at, credite, *COR*
 meum pro vobis vigilat, vestri me-
 mor, nunquam non agere causam
 meorum desino. Eapropter exu-
 iarum amantissimum *COR* apud
 vos deposui. Confidite, vigilauit
 viuētis, vigilat mortui. Sed vos
 quoque

Cant v. 2.

quoq; à somno desidiae, ab ignavia
torpore excitet.

XLI. *COR* nobis suum dedit In quibus-
IULIUS. ô Ordinis sui Decus, Pa- dam non
tronum insuperabilem! Quod erat est *COR*.
optandum maximè, id non humano
consilio sed omninò diuinitus da-
tum, atque oblatum planè mihi per-
suadeo. Inueterauit enim iam opi-
nio hacluctuosissima ætate, quosdã
rerum Dominos *CORDE* penitus ca-
rere. Nec auditur Philosophus, qui
animosissimè negat sine corde ani-
mal, quod sanguinem habet, posse
viuere. Verumenimverò, multos
non habere *COR*, certum esse existi-
mo, ex certitudinis irrefragabili pa-
ginâ, quam diuinus Bibliorum Li-
ber continet. *Factus est Ephraim*, in- Osee vii.ii
quit Propheta, *quasi columba seducta,*
non habens COR. Corde caret, qui
mente, & Sapientia, ingens sine me-
dulla pepo, & cucurbita. *Popule stul-* Jere. v.21.
te, clamat Jeremias, *qui non habes*
COR. Plures in hac tribu collocat Sa-
lomon, cui maior, quàm profanis
Scriptoribus fides, &

XLII. Ne-

Quinam
excordes?

a Prouer.

vi. 32.

b Prou. xi.

22.

c Prou. x. 13

d Ose. iv. 11

Tertul. lib.

iv. in Mar-

cio. cap. 10.

Prosper. li.

de dono

Timoris.

Gabriel In-

chinus

Serra. i. de

puritate

cordis.

Principes
sine corde.

XLII. Negat imprimis COR ha-
bere adulteros. *Qui adulter est, pro-
pter Cordis inopiam perdet animam su-
am.* ^a tum amicitiae desertorem.
Qui despicit amicum, indigens corde est.
^b Deinde imprudentes, *In labijs sapi-
entis inuenitur Sapiencia, & virga in
dorso eius qui indiget Corde.* ^c alios
jungit Oseas, ^d *cujus hoc est enuncia-
tum, Fornicatio, & vinum, & ebrietas
auferunt COR.* His consentaneè do-
ctissimus Afer, ludens in Marcio-
nem. *Facilius inquit, inuenias, homi-
nem natum Cor non habere, sicut ipsum
Marcionem, quam corpus, vt Christum,
Marcionis, atque adeò, inspice COR
Pontici, aut cerebrum.* Facetè etiam
quidam è recentiorib. canit, eum
qui putabat Reminisco, Latinè dici,
Reminiscor dicturum, si COR ha-
buisset. Et, nescio quis Euclio, apud
Prosperum, CORDE orbus reper-
tus est, aperto, post mortem pecto-
re, quod deinde in aureorum cumu-
lo inuentum.

XLIII. Ex quib. haud violenter col-
ligas, multis COR deesse, Principes

verò,

verò, quib. parua de subditis est cura, S. Hiero-
 Columbas, dici sine corde. nã quum nymi ob-
 cæteræ aues pullos, etiam cum vitæ seruatione
 periculo protegere festinēt, & mor-
 su, vnguibus, querulaque voce affe-
 ctum parentis testentur, excors co-
 lumba ablatos pullos, nec dolet, nec
 requirit. Eadem volucris Cordis in-
 digæ, lasciuix, & incontinentiæ est
 typus. Diuinitus igitur factum, vt is,
 qui perpetuis pro commisso sibi gre-
 ge, vt pullorum cohorte, curis anxi-
 us laborauit, nec vlllo incontinentiæ
 næuo aspersus fuit vnquam, COR no-
 bis comiserit, vt principem nostrum
 nunquam sine CORDE fuisse intel-
 ligamus.

XLIV. COR nobis suum dedit IV-
 LIVS. ô Concordiæ Fundatorē per-
 petuæ! Quæsitum non semel est ab
 Academicis, quodnam sumendum
 esset, consensu, ab omnibus Facul-
 tatibus commune Symbolum? va-
 riatum est sententijs, nec constitui,
 certum aliquid eatenus potuisse vi-
 detur, poterit in posterum. COR e-
 nim legauit Academia, qui funda-
 uit,

Concordia
 tessera.

Vide Pieri-
 um lib.
 xxxiv.

Actu IV.
32.

uit, vt concordēs esse debere significaret, illudque vsurpandum, vt sacram tesseram, **COR VNVM, & ANIMA VNA.** Pingantur itaque disciplinarum omnium insignia, & coronâ laureâ cingantur, in texto corollæ, **CORDE** principis, scribaturque **COR VNVM, & anima vna,** alterius Symboli nos nulla sollicitudo torqueat.

Cor, bulla
pectoris

**XLV. Cor nobis suum dedit IV-
LIVS.** O indulgentem paruulorum suorum Nutritium! Cor dedit, vt ornamentum (reor) & sapientiæ, ac ingenuitatis indicium. Quotquot in Sapientiæ palæstrâ desudamus, paruuli meritò dicimur, & magnæ illius Dominæ nobiles filij, de quibus veræ Sapientiæ Magister *Reuelasti ea paruulis,* paruulorum autem, si ingenui erant, ac nobiles ornamenta fuisse obseruo, prætextam, & Bullam. Bullam dum nomino, **COR** signo, ex conspicuâ materiâ, quod in pectus dependebat, vt Bullam inspicientes, ita demum, se homines esse cogitarent, si corde
excele.

Matth. xi.
25.
lege Martia. lib. xiv.
Ap. 219.
cuius tt.
Corculū.
ibi Raderum & Caspar. Sanc-
tium in
Cant. Pro-
lego. x.

excellerent. Bulla nobis deerat, A-
 cademici, quam pectori admotam
 gestaremus perpetuò, hanc ne quid
 deesset ad nos ornandos, submisit
 Fundator, non ex auro, quo primus
 donatus prisci filius, vile hoc metal-
 lum est, si cum Corde tuo compares,
 nec Scorteam, quæ minus digna no-
 stra ingenuitate, sed ex substantia i-
 psamet principis. *COR CARNEVM*
 à Deo in amoribus haberi solitum,
 quis hoc donum æstimet? At me-
 minerimus Bullam, effrenes ætatis
 impetus coërcere solitam, quid non
 faciet *COR* principis, si vt bulla in
 pectore circumgestetur, & ad illud
 frequenter oculos deflectamus? In-
 spiciatur à nobis sæpè principalis
 Bulla, & tum demum nos, vt Sapi-
 entia Amatores, haberi gaudeamus,
 quàm Cordis Principalis virtute ex-
 celluerimus. nec ponatur, vt olim,
 hæc bulla post adolescentiæ vigo-
 rem deferatur ad tumulum. Ita de-
 nique gestetur, vt & in memoriam
 nobis reducat verè os aliud esse ni-
 hil quàm *BULLAS*.

COR

Cor consi-
lii Symbo-
lum.

Pierius lib.
xxvii. Ma-
crobio Bul-
la, $\pi\alpha\rho\alpha$
 $\tau\lambda\omega$ Gov.
 $\alpha\lambda\omega$.

Cor vitam
indicat.

XLVI. *COR* nobis suum dedit
IVLIVS. O monitorem suorum as-
siduum! Vix ambigo officia singu-
lorum respexisse principem, quum
Legatum condebat. Quodnam
est officium hominis Sapientiæ stu-
dijs dediti? Prodesse consilio toti
generi humano, benè cōsulere cor-
pori, & animo, publicè, priuatim,
hinc Juris Consultissimi audiunt è
nobis quidam excellenter, quod om-
nib. suo modo conuenit. *COR* au-
tem arcano scribendi genere Con-
siliium designat, quod per bullam et-
iam notatum, in Cordis figuram cō-
formatam, volunt. Et Theologo-
rum præcipui, prophetarum insti-
tuti oraculis, Consilium in corde re-
sistere dicunt, in eoque agendorum
omnium principium: è corde nam-
que profiliunt, quæ deinde ad exter-
na deriuantur.

XLVII. *COR* nobis suum dedit
IVLIVS. O vitæ melioris paren-
tem alterum! Non nesciebat pru-
dentissimus princeps se vitam Aca-
demiæ fuisse, quæ ne obiret, se ab-
eunte

eunte, vitæ pignus *COR*, an potius alteram vitam? relinquere destinauit. Certè *COR* vitæ significatum habere, apud antiquos in confesso fuit. quocirca vt malum omen habitum, Cæsari Dictatori, quo die primum veste purpureâ processit, atque in Sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis defuisse. Heluio quoque Pertinaci, eo die, quo occisus est, quum sacrificaret, *Cor* nõ comparuit. Ob quam fortasse causam prisca vates, *COR* tanquam receptaculum animæ, quæ substantialis est hominum vita, celebrarunt: ventremque animæ, dicere non sunt veriti; quomodo illud Hieremiæ exponit non nemo, *ventrem meum doleo*, quem *Ventrem*, inquit Hesychius, insinuat Propheta, verbis, quæ adjungit, *Et sensus cordis mei conturbati sunt*.

XLVIII. *COR* nobis suum dedit *COR* in *IULIUS*. O Academiæ Lumen *homine, vt* perpetuum! *COR* dedit, Solem (vt *Sol in vni-* arbitror) ad quem faces nostras, si *uerso,* fortè extinguerentur, accendere-
mus.

Plin. lib. 27.
c. 37.

remus. Quàm benè prouisum esset
 vniuerso, si quàm laborare Sol inci-
 pit, & bona pars luminis intercipi-
 tur, alius esset Fons lucis, à quo, quod
 deest, commutato acciperet. nun-
 quam certè ferruginea specie appa-
 reret, lucidissimum sidus. Est homo
 quilibet sitie Micro, siue Macrocos-
 mus, diuersa consideratione, in quo
 COR, Solis instar Principatum ob-
 tinet. Quid, quod Stoici Solem,
 COR esse, seriò adfirmabant? Nam
 Mundo, quem animal dicebant sen-
 su & ratione præditum, partes adsi-
 gnabant, vt homini, nobilissimam,
 COR, quod à Sole non sit diuersum.
 Audite Plutarchum. Stellæ sunt o-
 culi lucentes in facie vniuersi: Sol vi
 præditus CORDIS, vt hoc sangui-
 nem, & Spiritum, sic diffundit ex se
 vegetantem calorem, & lucem.
 Terra, & mari, Mundus, vt animal,
 ventre & vesicâ vtitur. Luna inter So-
 lem & terrã, vt inter COR & ventrẽ,
 velut jecur, aut aliud molle viscus
 est. Itaque quod in orbibus coele-
 stibus Sol, id in homine est COR,
 quod

Ludouicus
 Richeo-
 mus in Va-
 ledict. ani-
 mæ.

Robert.
 Bellarm. de
 Ascen.
 mentis
 gradu 2.

Plutar. de
 facie in or-
 be Lunæ.

Lips. lib. 2.

Stoi. diss. 10

quod quidem in nobis non raro interposito terreae cupiditatis, vel nullo affectuum obscuratur. Suum igitur huic Microcosmo transmittendum censuit providentissimus Academiae Patronus, tunc quando ipse ab omni terrena concretione liber, ad aeternam lucem admissus, vicissitudinis obumbrationi non amplius esset obnoxius, ut *SOLEM* haberemus semper, a quo nostrum maligne splendentem, animaremus. *Cor amantissimorum*

XLIX. *COR* nobis suum dedit *JVLI* *VS.* Principem suorum amatissimum! *matricula.*

Annon, dum *COR* donavit, ostendere illi mens fuit, in quem Amicorum Album vivens, nos retulerit? Quos carissimos habemus, *CORDI* inscribimus. Est ergo *COR* velut *Matticula*, aut *Lamina*, in qua *Elenchus amicissimorum*. Hoc indicatum ab ijs suspicor, qui scribunt *Antiochiae Episcopum Ignatium*, nomen *IESV*, quem amorem suum, Deifer ille, alicubi nominat, non modo frequenter hahuisse in ore, sed etiam in ejus *CORDE* scriptum, *aureis*

Ignat. Epistol. ad Roman.

Arcopag. I. de divinis Nomi. c. 4.

Baron. To. II. An. 110.

Vincent.
Specu. hi-
stor. lib. x.
cap. 57.
Iacob.

Vorag. vi-
ta S. Ignat.
Anton. 1. p.
tt. 7. cap. 1.
§. II.

Biel. lect.
59. in Cano.

Ad Cor lo-
qui.

lege Del-
rio Tom.
1. Adagior.
pag. 178.

aureis litteris inuentum fuisse. Non
me latet narrationem hanc recentium,
nullo niti veterum historico-
rum testimonio satis idoneo, quia
ab antiquis traditur deuoratus a fe-
ris, quæ sola ossa reliquerint. Hoc
tamen negari non potest, qui id tra-
diderunt, & narrationi habuere fi-
dem, existimasse *IESVM CHRIS-
TVM* fuisse *IGNATIO* in amori-
bus, illudque denotari in inscriptione
CORDIS. Idem de Principe adfir-
mandum, cuius, nisi Academia fuis-
set Delitium, nunquam *CORDI* il-
lam inscripisset suo inscripisse autem
nullum mihi est dubium, quia *COR* de-
dit. Nimirum delirantis esset, Cata-
logum amicorum illi relinquere, qui
nullum in eo locum habet, eoque
inimicus æstimari posset.

L. *COR* nobis suum dedit *IULI-
VS*, vt in Sapientiæ *DOMO* à nobis
conderetur. Libenter agere sole-
bat optimus Princeps, vbi reperi-
bat, qui ipsi ad *COR* loquebantur,
verba quæ illi *CORDI* erant, quæ
consolationi, quæ ædificationi, qua-

lis e-

lis omnis Sermo Sapientiâ conditus. Meritissimo igitur Sapientiæ Domum elegit, pro *CORDIS* reposito-
rio. Quisquis enim hic dicet unquam, loquetur, spero, ad *COR* Principis, & ut loquatur, *COR* præ-
sens monebit.

LI. *COR* nobis suum dedit *IULI*. *Cor, came-*
VS. O sapientem Architectum, à *ra* omnipo-
centis regis.
quo de optimo domicilio nobis pro-
visum! Festiva quorundam inge-
nia, qui non integra solum vocabu-
la, sed singulos quoque characteres,
& apices ruspantur, ut mysteria ex-
sculpant, quibus Philologus delecta-
tur, tribus illis litteris signari posse
autumant *Cameram Omnipotentis*
Regis. Hanc si nobis donavit *IULI*,
SCOR suum adsignando, næ
cælum ipsum dedisse putandus est.
O munificum benefactorem! Sed
ne sit lusus solis in litteris, grauiissimi
Patres *COR* hominis fidelis, quan-
to magis Principis fidelissimi, cælum
faciunt. Ita Magnus Doctor Augu-
stinus, qui, *CORDA fidelium cælum*
sunt (inquit) *quia in cælos cotidie eri-*
guntur.

C
O
R

S. Augu-
stin. Ser.
de redemp.

E

guntur.

S. Gregor.
Homil.
XXXVIII. in
Euang.
I. Corin. I.
24.

guntur. adde, quia Deum inhabi-
tantem habent. nec dissentit Ma-
ximus Pontifex Gregorius, qui ex
eo, quod Paullus Christum vocat
Dei virtutem, & Sapientiam, Scri-
ptura autem dicat Coelum esse Dei
sedem, animamque iusti sedem Sa-
pientiae, acutè colligit, Animam
Coelum esse, in quo Deus residet,
quodque Dei gloriam enarrat. qua-
le *COR* esse Principis *IV LII* quis
ambigat?

*Cor arma-
mentari-
um, penu,
thesaurus.*

LII. COR nobis suum dedit *IV-
LIV'S*. Ex eo quod *COR* in, abces-
su pectoris latitat & intra præcor-
dia se reducit, Diuinæ Litteræ *COR*
plerumque non solùm pro ijs, quæ
in abdito profundoque mentis re-
cessu cõduntur, sed pro quarumcun-
que etiam rerum receptaculo ac-
cipere consueuerunt, vnde in sepul-
cri significatum *COR* abiit. An non
ita Christus *COR* terræ nuncupa-
uit? *Erit, inquit, Filius hominis in
corde terræ tribus diebus, & tribus nocti-
bus.* Eadem analogiâ, est, qui *COR*
vocat Armamentarium, vnde pro-
man-

Matth. XII.
40.

mantur instrumenta bellica contra inimicorum insultus. Penu, ex quo petantur alimenta fouendæ, fulciendæque imbecillitatis humanæ. Thesaurum, qui suppeditet opes ad comparandas virtutum pretiosissimas merces. Domicilium occupatum, plenumque diuinis eloquiis. rectè namque pronunciatum à Psal-
 mista, *In corde meo abscondi eloquia tua.* Ps. cxviii.
 Acropolim Diuinitatis. Quæ^{ii.} omnia nobis legata esse, quùm *COR* Principis nobis datum audimus, æquum est credere. Quàm præclaram, in *CORDE* Principis, adiimus hæreditatem!

LIII. *COR* nobis suum dedit *IV-
L I V S*, quod vidistis Puluino, <sup>Cor palpi-
tans in spi-
neto.</sup> ex molli materiâ, impositum. Ja-
 cobus Patriarcha Jerosolymitanus, qui deinde Pontifex, Urbanus I V. <sup>Symbola
Sadeleri &
Typotij
Tom. 2. p.
78.</sup> dictus est, Symbolum præferebat
 hieroglyphicum, *COR* humanum <sup>Pierius lib.
xxxiv.</sup> palpitans in spineto, adjunctâ Epi-
 graphe, *RECORDARE NOVISSI-
MA.* Ægyptij autem *COR* pingebant in craticulâ, subjecto igne, quo

illi quidem iram furoremque exprimebant, sed meliores Theologi, Pœnitentiam. Palpitauit *COR* Principis, cum viueret; velut in paluris, assiduâ nouissimorum consideratione, fuitque in doloris Craticula; mortui igitur rectissimè in puluillo, ceu plumea quietis culcitra recumbit, sicque nobis offertur, ut documento sit, si *COR* dum viuimus continua futurorum agitatione ac præteritorum pœnitudine irrequietum fuerit, mortuis mollissimè cubaturum.

*David vir
secundum
Cor Dei.*

1. Reg. XIII.
14.

LIV: *COR* nobis suum dedit *IVLIVS*. O morum formatorem excellentissimum! Paucissimorum sanè est *COR* habere secundum *COR* Dei. De solo Rege innocentissimo, David lego, *Quæsiuit sibi Dominus virum secundum COR suum*. Optandum autem omnibus esset, ut secundum *COR* Dei viuerent, quod summum est in Christiana perfectione. Sed si ad apicem pertingere non possumus, aut ne cōscēdamus, diffidimus,
conan-

conandum, ut quàm proximè acce-
damus, quod fiet, si secundùm *COR*
eius, vitam, actionesque compona-
mus, qui dum in viuis fuit, iuxta *COR*
Dei vixisse existimari potest. is est
Princeps *N. IULIVS*, quem, si di-
cam, virum fuisse secundùm *COR*
Dei, Dauidi geminum, temeritatis
fortasse arguar; si autem inter sui æ-
ui Præsides, Episcopum iuxta *COR*
Dei, iure reprehendi non poterò.
Nec est, quod errores humanos in-
uidiosè accumulés. Erras, teme-
rarie, si existimas, fuisse hominẽ,
post Θεάνθρωπον, cuius virtutes, nullo
vitij alicuius confinio lædi potue-
rint. Hac ergo fini nobis *COR*
Principis datum arbitremur, ut quo-
niam prototypon exprimere non
valemus, quod proximè accessit, ex-
emplar, à nobis repræsenteretur.

LV. *COR* suum nobis dedit *IV-Cor in ma-*
LIVS. Sicut diuisiones aquarum (in-
quit Sapiens) ita COR Regis (seu Prin-
cipis) in manu Domini: quocumque vo-
luerit inclinabit illud. Imperator ma-
nu gerens Mundi orbem, pingitur
E 3 Deus;

Prouerb.
XXI. I.

Deus optimè, manu gestans *COR*,
 quippe *CORDIVM* Dominus. I-
 gnoscite, si quid audacius proloquar,
 verum tamen, sano sensu. *COR* su-
 um nobis dedit *IVLIVS*, vt, quod
 in manu Dei solius gestabatur, dum
 mortalis viuebat, nunc postquam
 immortalitate Diuorum est dona-
 tus, quod piè opinari fas est, diui-
 sum sit Deo, nobisque imperium,
 hoc est, ita in manu Dei sit *COR IV-*
LII, vt & à nobis gestetur. dicam
 hoc planius. Cor in manu habere
 dicimur, quod ad vota nostra tor-
 quere nobis est procliue, eius autem
 nobis fecisse potestatem *IVLIVM*,
 quando *COR* donauit, est admo-
 dum vero-simile, vt quotiescunque
 eius præfidiis indigebimus in manu
 nostra sit, inflectere. inflectetur au-
 tem facillimè, morum vitæque ad
 illius præscripta conformatione se-
 dula, facinorumque præclarissimo-
 rum imitatione, & erga optimum
 Benefactorem gratitudine.

*Cor in a-
 ra, vel
 thuribulo.*

LVI. COR nobis suum dedit
IVLIVS. Esset quidem semper
 E 4 nobis

nobis *COR* tanquam purum Deoque gratum sacrificium offerendum, sed nonnunquam negotiorum sordes inquinant, ut fæda sit, quæ mactari deberet hostia. Huic nostræ inopiæ, miseræque subuenit Sacrorum Antistes integerrimus *IVLIVS*, qui *COR* nobis suum, tunc donari voluit, quando ab omni contagione mortali liberum non nisi purissimum esse potest, ut si nostrum Sacrificio sit minus idoneum, *IVLII* substituatur.

LVII. COR nobis suum dedit *Qualitates*
IVLIVS. itaque *COR* non homini *Cordis boni.*
 nis plebei, sed Principis accepimus, *ni.*
 ad cuius nobilissimas qualitates, si nostrum instituerimus, digni tanto munere habebimur. *COR IVLII* accepimus, id est, læue, tersum, politum, humanitate, & benevolentia; non hirsutum ac pilosum, quale fuisse fertur Hermogenis, Leonidæ, Aristomenis Messeni, Lyfandri, *Plutar. in Parall. Rhodigi li. iv. cap. 16. Plin. l. xi. c. 37.*
COR IVLII non præ-
 grande, quod timidorum, & ob me-

Eccl. x. 2.

tum maleficorum ; nec paruum ,
 quod audaculorum, sed mediocre,
 quod sinceri, & magnanimi. *COR*
IVLII, id est, in dextra, non fini-
 stra situm. Nam *Cor Sapiientis in de-*
xtra. quid hæreo? *COR* rectum,
 mundum, molle, apertum, sanum,
 altum, vno verbo, incisis ambagibus
COR IVLII, cuius ego si de-
 cora sigillatim explicare aggrede-
 rer, priusquam finire, noctesceret. &
 quis tandem finis dicendi, quando
 dictionis argumentum est, *IVLIVS*,
 qui orationem infinitam factis me-
 ruit. itaque mole pressus, me subdu-
 co, fat habeam dixisse

LVIII. COR nobis suum dedis-
 se *IVLIVM*, adscripto tumbæ se-
 pulcrali titulo, *UBI EST THE-*
SAURUS TUUS, IBI EST
ET COR TUUM, vt quoniam
 viuis peculium Sapientiaë, pluris
 semper fecerat, quam lautum terre-
 norum patrimonium, mortuus do-
 ceret, ex illo Mausolæo, vt è cathe-
 dra, nobis ejusdem *DIVÆ* cultu-
 ribus, *MAGNI JULII* discipu-
 lus, &

lis, & clientibus, Sapientia magis,
 quam nummorum aceruos, conse-
 ctandos, iisque & dum viuimus, &
 dum morimur, si imitari lubet sapi-
 entissimum Principem, *COR* info-
 diendum, vt, *UBI THE-*
SAURUS NOSTER,
IBI ET SIT COR
NOSTRUM,

Matth. vi.
 21.

DIXI.

Herbipoli in Templo Academico,
IV. Non. Sept.
M. DC. XVII.

ERRATA CORRIGE

p. 26. Juliane Julianæ: p. 28. quidam ambitiosus
 quidam ambiriosius p. 31. marg. babes habet p. 32.
 famulatum famulatura p. 33. noxios nexos p. 33.
 bonumq; pignus? horumq; pignus? p. 36. exposit;
 expositi p. 37. Quæ causæ? Quæ causa? p. 38 refer-
 ri deferri p. 40. oouo nouo p. 45. carmini carmi-
 nis.



E 5 MNH.



MNHMOΣYNON.
 ACADEMICUM
 R^{mi} & ILL^{mi} PRINCIPIS
 JULII
 FVNDATORIS

Julius extremam vitæ deductus ad horam,
 Captabat meritis astra minora suis.
 Iam neque quo posthac regeretur Præfule Clerus,
 Sollicitus, neque quem volueret urna Ducem,
 Hæc Deus, & sacri librarent vota Senatus,
 Cura, suum cui Cor linqueret, una fuit.
 Quando subingrediens, lacrymoso Academia
 Fatali retulit talia verba sono; (vultu,
 Magne Pater, superùm quem nunc sibi vendicat
 Amittit proprio terra coacta malo, (Aether,
 Ergo unà tecum fossâ tumultabor arenâ,
 Aut alia exponar, ceu prius, exul humo?
 Si viuo, cui me linquis, moriture, Patrono?
 Quæ partas à te dextra fouebit opes?
 Certè in te vixi, multisque onerata trophæis,
 In longè positâ noto canebat humo.

Nunc

Nunc simul abiecto, fiam cinis ultima, sceptro:

Tecum vita, mori, est: te sine vita, mori.

Non ita, magnanimo respondit Julius ore.

Ne peream ex omni parte, superstes eris.

Quisquis honoratâ cinget pia tempora Mitra,

Et viduum duplici sumet honore Pedum,

Ille memor nostri, passis circumdabit vlnis

Desertam, & partas accumulabit opes.

Sed quoniam oppressos Fortuna malignior urget,

Luridaque Invidia spicula mors acuit;

Accipe Cornostrum, pyramis nulla altior extat:

Dextera nec scutum fortius vlla quatit.

Ista tuos quoties oculos pulsabit imago,

De nostro toties Corde resultet Amor.

Depositum condes, donec rediuius aperto

Hic iterum tumulto spiritus ossa legat.

Obstupuit tanto tremefacta Academia voto.

Hoc animi, ô Princeps, est anathema tui?

Invidiam hoc censes fractam munimine pelli,

Quo solo extinctam nutrit auara facem?

Frustra es, subiicit. supremum quod loquor, hoc est.

ΜΥΝΟΨΥΧΟΝ, JULI COR morientis habe.

Deficiensque simul cum voce, parata subiuit

Astra, ubi Cor illi, quo fruitur, Deus est.

Nil unquam donando, minus, cum viueret, ille

Perdidit, aut maius, cum daret, obtinuit.

Hof-



HOSPITI

amico

S.

HOSPES, quia
 plurima facta est
 mentio **COR-**
DIS non vnus, & in-
 fertum nomen **HE N-**
RICI MAGNI,
 hanc mantissam tibi adij-
 cio

cio, Francicarum fortal-
 se ignaro. pellege. Non
 est insolens, CORDIS
 humatione, testari
 Principes, loci siue reli-
 gionem præcipuam, si-
 ue incolas in amoribus
 sibi fuisse, dum viuerent.

Henricus

IV. Rex

Gall. &

Navarra,

Mitto vetera. Diony-
 sipoli Mausolæa sunt Re-
 gum Gallia. inibi Lilia-
 ti regni Monarchæ, dum
 mortalitatem exuunt,
 ponunt, quæ claudi pos-
 sunt, exuuias, recepturi
 supremo mundi die.
 COR tamen Henrici
 Magri

Magni Societatis JESU
Flexiensis ædes tumulo
condidit. Ita Rex impe-
rarat, nō tam natalis soli
dulcedine, quàm sancti-
tate loci, & in veritatis
Præcones, quos amabat
medullitūs, adfectu du-
ctus. Itaque alterā sta-
tim à furialis parricidij
die, postquam Ludoui-
cus XIII, Magni filius in
suo Justitiæ puluinari
confidens, Rex consalu-
tatus esset, COR regi-
um, Regina Rectricis
mandato, atq; Ill^{mi} Prin-
cipis

U
lo
e-
oli
ti-
tis
at
u-
a-
lij
i-
n
ri
i-
i-
is
-
s

cipis de Conty oblatio-
ne Patribus est traditum,
delatumq; in templum,
D. Ludouico sacrum; in-
de in Collegij Flexi-
ensis basilicam deportā-
dum: quo munere vi-
ginti Societatis religiosi
perfuncti sunt, deducen-
tibus Cl^{mo} Duce Mont-
bafonio , ac Domino
Varannæo. Qua porro
pompa eo ventum, qui-
bus Regis Donarium ex-
ornatum titulis, quoties
pro liberalis^o Donatore
litatum

litatum sit sacra hostia,
dicere non attinet.

*Franciscus
de Ioyosa,
Decanus
Cardinali-
um.*

IN eodem regno, haud
longo temporis inter-
uallo, purpuratorum
Patrum Princeps, Fran-
ciscus de Ioyosa, Eccle-
siae Gallicanae decus, A-
uenione, ultimae volun-
tatis codicillis ritè con-
fectis, quibus plus du-
centis aureorum milli-
bus in pios usus elargitus
est, COR suum in Ec-
clesia Collegij Societatis
IESU, quam semper
beniuolentia singulari
com-

complexus erat, reponi:
 corpus verò, in Pontife-
 rana Residentia (vocabu-
 lum est apud nos rituale,
 quo collegio domicili-
 um minus, nec fixum si-
 gnamus) à se fundata hu-
 mari iussit. Princeps æ-
 terna dignus, cum po-
 steritatis seræ honorifica
 deprædicatione, memo-
 ria.

ILLUD insolens,
 & quia tale, interest pu-
 blicè, non sileri. Testari,
 beneficum Numen, cui
 sordes sunt detestabiles;
 F Cuius

Cujus mens quùm inter
 mortales ageret, in ruti-
 lo fulgentis metalli fime-
 to, vt in Persica gaza con-
 quieuit; ejus, ad plures
 delati, COR, post a fini
 sepulturam, qua dignissi-
 mus Euclio, in nummo-
 rum aceruis palabun-
 dum, quietem oberran-
 do quærere, quam apud
 inferos, auarorum insu-
 lam, sordidis denegari
 perhibent.

ANTONIVS Vlyf-
 siponensis, vulgo, Pata-
 uinus, è D. Francisci fa-
 milia

milia, primis illis religio-
 nis adolescentis tempo-
 ribus nobilis Ecclesia-
 stes, diuitis funus, iustus,
 reor, non panegyrico or-
 nabat, sed parænetico:
 jamque æstuabat, qui illi
 mos, quum repentè, vi
 abdita, entheam inter-
 pretor, hæc ipsa premēs,
 UBI EST THE SAURUS
 TUUS, IBI EST ET COR
 TUUM, concitatus, pro-
 perate, exclamat, thesau-
 rum mortui inspiciat,
 quàm verum sit Christi
 effatum, clarebit. itum,

F 2 est

est cateruatim, **COR** di-
 uitis in nummorum cu-
 mulo repertum, senten-
 tiæ veritas oculari lustra-
 tione firmata.

Laurent. Surius
 in vita S. Antonij à Padua,
 XIII. Junij.

IN *VSVRARI* cuiusdam exequijs vir
 Dei concionaturus, thematis loco ac-
 cepit illud in Euangelio, **UBI EST**
THESAURUS TUUS, IBI
EST, ET COR TUUM. Sub
 concione autem inter cætera ait. Mor-
 tuus est hic diues, & sepultus est in in-
 ferno: ite ad thesaurum eius, & in il-
 lius medio inuenietis **COR** eius, cor-
 pore iam humato. Abierunt hominis pa-
 rentes, & amici, & **COR** adhuc ca-
 lidum, in medio nummorum eius inue-
 nerunt.

Pro,

Prosper


Lib. de dono Timoris.


AVARUS quidam pecunia aman-
tissimus, postquam plurimas diuiti-
as congregasset, & de ijs pauperibus ni-
hil unquam dispersisset, aut alijs pietatis
officijs impendisset, subitâ morte raptus
est. Cadauere autem eius, à parentibus
& amicis presentibus aperto, ut ab ijs di-
spiceretur, quanam tam repentina mor-
tis causa fuisset, COR in eo non fuit in-
uentum. Vnde admiratione rapti singu-
li adierunt ad mortui cubiculum, ubi
thesaurus eius erat: atque cistâ apertâ,
COR hominis inueniunt inter manus dæ-
monis, qui instar draconis super hoc sede-
bat, ac in varias partes, discerpebat: di-
xitque astantibus. Hoc aurum, atque
argentum pretium est cordis, quod mihi
vendidit amicus vester, ideoque iu-
re meum est, eoque pro arbi-
trio uti possum.


UBI EST THESAURUS TUUS,
IBI EST ET COR TUUM.

Sord. 1555v Paderb.














































W
Th
5826